



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 157. Sessio XVII. Epistola Cardinalium de electione Pontificis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

fese, ut eadem promitteret, antequam Sæcul. XV.  
ejus electio publicaretur. Pariter senten- A.C. 1409.  
tiam, quæ contra ambos de Papatu cer-  
tantes promulgata fuerat, ratam habent,  
jubentque Patres, ut Concilium, quam-  
diu Sacra Sedes vacaret, continuaretur, in  
eoque quantum penes ipsos esset, Eccle-  
siasticæ disciplinæ reformatio urgeretur.  
Dicta Sessione nil aliud actum; sequens  
vero ad diem decimam tertiam Junii in-  
dicta fuit.

Eodem tempore Concilium nobilita- *Auberii hist.*  
tum est adventu Barensis Cardinalis tit. *Card. l. 21.*  
*S. Agathæ, Consobrini Galliarum Regis:* *p. 55.*  
Balthasaris Cossæ Bonnoniensis legati  
Cardinalis tit. S. Eustachii: & Antonii Cal-  
vo Episcopi Tudertini, Cardinalis tit. S. Pra-  
xedis, qui ad Sancti Marci titulum ab  
Alexandro V. vocatus fuerat, eoque  
jam alius quidam Cardinalis ejusdem ti-  
tuli adesset.

### §. CLVII.

#### *Sesso decima septima. Epistola Cardi- nalium de electione Pontificis.*

**S**esso decima septima celebrata est feria  
quinta die tertia decima Junii. Simon  
Cramaudus Patriarcha Alexandrinus una  
cum Hierosolymitano & Antiocheno Patri-  
archis suggestum concendens, scriptum le-

O 2

git

**Secul. XV.**  
**A. C. 1409.**

git hujus tenoris: Quia hujus pestiferi Schismatis tempore, Cardinalium in hoc Concilio existentium quidam sunt a diversis olim per Contendentes de Papatu creati, & Deo dirigente procedendum sit ad electionem unici, & indubitati summi Pontificis, hoc S. Concilium universalem Ecclesiam representans, consenit, disponit, & ordinat, quod ipsi, sic a diversis creati ad electionem praedictam procedant, si & in quantum opus est hac vice, auctoritate hujus S. Concilii, nec per hoc Cardinalium circa electionem Romani Pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare; sed hortatur omnes Cardinales, quod ipsi cum charitate ad electionem unius Pastoris procedant sic unanimiter, quod de quaunque discordiæ scintilla notari non debeant. Ad hanc Sessionem etiam accessere Regis Arragonum oratores, quibus admissi rogantibus concessa est conferendi facultas, hoc tamen pacto, ut nihil in præjudicium Concilii proponerent, hi quamquam conditionem acceptarent, subjungere tamen Regem suum, quæ in Synodo gesta essent, penitus ignorare, proin ipsi hucusque actitatis suffragari integrum non esse, eum tamen de singulis edoceri cupere, ac demum spondere, se huic negotio tanta moderatione collaboratum, ut exinde condignam ab omnibus approbationem sibi promitteret. Petiere porro, ut Benedicti XIII. Oratores,

qui

qui tum in urbe præsentes hujus petitio- Sæcul. XV.  
A.C. 1409.  
nis responsum expectabant, ad alloquium  
admitterentur. Quibus Concilium re-  
spondit, facturum se satis eorum votis,  
dummodo demandatae potestatis literas  
produxisserent, his enim exhibitis, a se  
illoco nominandos esse Deputatos, qui  
eos audirent, nunc vero tempus jam eo  
progressum esse, ut præsens Sessio huic  
negotio haud amplius sufficeret.

### §. CLVIII.

#### *Sessio decima octava. Solemnis suppli- cacio pro eligendo Papa.*

Postera die, nimirum decima quarta Ju-  
nii tempore matutino, Patres Sessio-  
nem decimam octavam solemnii auspica-  
bantur supplicatione, qua gratia ad eli-  
gendum summum Pontificem necessaria  
a Deo exoraretur. Intererant Cardina-  
les, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi,  
atque Abbates, cum tota reliqua Cleri  
corona. Procedebat longo ordine sup-  
plicantum agmen ex templo S. Michaelis  
ad Ecclesiam Metropolitanam, ubi Car-  
inalis de Tureyo augustiori pompa sacris  
operatus est. Post prandium Regis Ar-  
ragonie Legati impense rogabant, ut Be-  
dicti XIII Oratores, quos secum adduce-  
bant, a Synodo, prout antea petierant,

O 3 , ad